Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1217
Quelle:
Copyright:

Saltem abhinc eruditior esto &c. Extat Opusculum istud in edit. *Venetae* T. IV. a p. 236. divisum in *Libros* II. quorum I. *Capita* 19. II. vero *Capita* 9. numerat; nobis vero in universum *Capitibus* tantum 18. definitur, variaque et quidem statim sub principium continet, quae in editis desiderantur. Ita inter C. 1. et 2. impressorum interjacet locus 35. *linearum*, qui incipit: *Proficiscor enim in uiam uniuersę carnis* &c. et finit: *protinus a somno euigilaui.* E contrario versus finem varia nobis desunt, quae in *edit. supracit.* leguntur. Ut adeo Codex noster nequaquam negligendus sit illi, qui de nova aliquando *Ruperti* editione cogitaverit. Confer et *Cod.* CXCIX.

III. et quidem a *fol.* 111. adjicitur *Bedae Presb.* Scriptoris Sec. VIII. *Liber* XXX. *Quaestionum in Libb. Regum* hoc rubro: *Incipit epistola uenerabilis bede presbiteri ad nothelmum de quibusdam questionibus quas exponit in libro Regum. Dilectissimo fratri Nothelmo. beda salutem. Quę de libro regum dilucidanda mihi frater dilectissime misisti* &c. Succedit *Index* 30. Textuum, qui exponuntur; tum rursus rubro: *Incipiunt Questiones XXX de libro Regum uenerabilis bedę presbiteri. Quod ait propheta ad heli loquens ex persona dei* &c. Finis: *intrate in gaudium domini dei nostri.* Extat hic Tractatus inter Opera *Bedae* edita *Coloniae Agripp.* 1688. T. IV. p. 333. f. non sine quadam expressionum varietate.

CCCX.

Codex membraneus lat. Sec. 357
XII. Folior. 92. f. perquam nitide et luculente exaratus *Corpus* est quoddam *Doctrinae Christianae* e PP. dictis conflatum et in *Partes* VII. tributum, quarum hi sunt Tituli: Prima *Pars continet de Patre et Filio. De angelis. De adam. de fide antiquorum. de prophetis. de apostolis.* Secunda *de intellectu scripturarum. de diapsalmate. de obelo et asterisco. de diuitibus.* Tertia *de sacrificiis paganorum et nostris. de baptismo. de uiuentibus ex oblationibus.* Quarta *de incommodis que propter peccata eueniunt. de ipsis peccatis. de iuribus iurandis. de testimoniis. mendaciis. furtis. negociationibus. de auaritia. usura. quę liceant quę non. de honesto et inhonesto opere. De confessione. de remissione. de quibusdam mundanis.* Quinta *de potestate ligandi et soluendi. de pastoribus et doctoribus. de ordinatione. de doctrina domestica. de hereticis. de excommunicatione. qui tolerandi sint. qui non. de synagoga et hebreis. de ecclesia et ecclesiasticis.* Sexta *de cruce. de tempore paschali. de orationibus. de elemosinis. de militia. de dominis et seruis. de matrimonio. quod apostoli habuerint uxores.* Septima *de restauratione angelorum et hominum. de diabolo. de antichristo. de ultimo iuditio. de resurrectione. de gehenna. de igne ante iuditium et post.* Vides majore ordine et nexu res tractari potuisse. Singulae porro *Partes* in magnum *Capitulorum*